STATUS

CONTUBERNII JURISPERITOR.

ACADEMIÆ CRACO.

1776.

STATUS

Contubernii Jurisperitorum Universitatis Cracoviensis

Item

De Origine ejusdem Contubernii

Contubernium Jurisperitorum ab antiquo Collegium Longini à Suo Fundatore Joanne Dlugosz tandem Bursa Juristarum vocitatum, fundatum est circa annum 1470 ut infra patebit. Equidem Nobilis olim Joannes Balka de Niedzwiedz coram Serenissimo olim Casimiro III. Poloniæ Rege personaliter constitutus, lapideam jure hæreditario et militari possessam in platea Castrensi Urbis Cracoviensis, inter domum olim Nobilis Stanislai Grabowski ab una, et Nobilium Sbignei Nicolai et Joannis de Thanczyn partibus ab altera sitam, Perillustri olim Joanni Dlugosch Canonico Cathedrali Cracoviensi necnon Magnifico Rectori Illustribus Clarissimis Doctoribus et Magistris totiq Universitati Cracoviensi, in perpetuam Canonistarum habitationem pro sexcentis florenis Hungaricalibus, aliàs pro sexcentis aureorum nummis, per dictum Perillustrem Joannem Dlugosch tanquam principalem hujusmodi lapideæ emptorem, et solutis vendidit et cessit. Quam venditionem Serenissimus Rex Casimirus III. intuitu obsequiorum per Perillustrem Joannem Dlugosch, in eruditione filiorum Vladislai, Casimiri, Alberti, Alexandri et Sigismundi præstitorum in omni ad

miat,

admisit, et approbavit, de sorte militari, in Sortem Ecclesiasticam transtulit. Ad normam vero Jurium et Privilegiorum a Serenissimo olim Casimiro Rege Poloniæ, Collegio Juris Professorum gratiose concessorum, eandem lapideam, Immunitati et libertati adscribi voluit et ordinavit prout declarat Privilegium de actu et data Cracoviæ Sabbatho in die S. Galli Confessoris Anno 1473. per Illustrissimum Sbigneum protunc Regni Poloniæ Pro Cancellarium, Scholasticum Cathedralem Cracoviensem, sub regimine Episcopatus Cracoviensis olim Illustrissimi ac Reverendissimi Joannis Rzeszowski expeditum. Unde in fronti pilio, seu super ostium dicti Contubernii legitur hujusmodi inscriptio, antiquo Gothico charactere exarata — Joannis Longini Canonici Cathedralis Cracoviensis, ad honorem DEI et pro fectum Studii Cracoviensis pauperumq Canonistarum mem. fel. Anno Domini MCCCCLXVI.

2dò
De Dote antiqua ejusdem Contubernii

Successu temporis Idem Serenissimus Casimirus III Rex Poloniæ censum annuum sedecem marcarum monetæ et numeri Polonicalis, in et super macellis sutorum Urbis Cracoviensis, et eorum universis obventionibus, inter alios Census Fisco Regio singulis annis per seniores ac Magistros artis sutoriæ, ipsorumq communitatem dari solitos pro quingentis florenis hungaricalibus puri auri et justi ponderis, alias pro quingentis aureis hungaricalibus, pro Regia ac Regni opportunitate in parata pecunia auri receptis et levatis, Adm Rndo Nicolao de Koprzywnica, in Xiąznica Parocho, Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis Altaristæ, protunc Testamenti Magistri olim Jacobi de Schadek Decretorum Doctoris, Canonici et Vicarii in Spiritualibus Generalis Cracoviensis, Executori, modo reemptionis vendidit et resignavit, ipsiq plenam facultatem in eodem

censu

censu Altare inquacunq Ecclesia aut Collegiata fundandi, vel piis locis conjunctim vel divisim applicandi concessit, et censum prædictum per Seniores ac Magistros artis sutoreæ totamq eorum communitatem singulis quartualibus anni per marcas quatuor in perpetuum præfato Nicolao de Koprzywnica, ac aliis quibusvis spiritualibus personis, ex donatione ipsius solvendam esse voluit et ordinavit, Privilegioq immunitatis et libertatis Ecclesiasticæ adscripsit Procuratorem Generalem Castri Cracoviensis, sive Vice Procuratorem aut Seniores Magistros Sutorum, quoties in et solutione hujusmodi census neglientes fuerint omnibus censuris Ecclesiasticis usq ad sententiam interdicti per ordinarium Cracoviensem monitione duntaxat infra sex dierum spatium personaliter, vel in facie Ecclesiarum Parochialium B. Mariæ Virginis in Circulo Cracoviensi et Sanctorum Omnium præmissa, in eos ferendis et promulgandis subjecit, omnibusq exceptionibus Juris et facti derogavit, Salvum nihilominus jus censum prædictum, cum summa simili et integra quingentorum florenorum hungaricalium auri boni et justi ponderis, in ea quantitate et qualitate monetæ prout receperat, prævia avisatione in spatio sex Mensium eximendi et levandi reservavit, altero Privilegio suo speciali de actu et data in Niepołomice feria 5ta post Festum Epiphaniæ Anno Domini 1489. sub Episcopatu olim Illustrissimi et Reverendissimi Friderici Principis, per Illustrissimum Gregorium de Lubranice pro tunc Pro Cancellarium Regni Ecclesiarum S. Floriani ad Clepardiam et Scarbimiriensem Præpositum expedito.

Insuper Idem Serenissimus Casimirus Rex literas mandati sui Regii, super solutione et extraditione census sedecem marcarum, juxta literarum venditionis et resignationis tenorem, præstanda ad memoratum Illustrissimum Gregorium de Lubranice Pro Cancellarium Regni Sancti Floriani et Scarbimiriensem Præpositum. Procuratorem Generalem Castri Cracoviensis. Ipsiusq Vicesgerentes Notarios

Notarios, Officiales, contra Seniores ac Magistros artis sutoree totamq eorum communitatem sub actu supra nominato extradi mandavit.

3tio

De fundata Collegiatura pro seniore hujus Contubernii

Quibus Privilegiis habitis memoratus de Koprzywnica Executor ad Universitatem Cracoviensem recursum fecit et in Convocatione publica sub die Saturni 24 Augusti Anno 1491. sub Rectoratu Magistri Joannis de Pilca Sae Theologiae Professoris, Ecclesiae Collegiatae Clepardiensis S. Floriani Decani habita, intentionem, jam alias in anterioribq Convocationibus tractatam de fundanda Collegiatura pro seniore Bursae Canonistarum super praedicto censu sedecem marcarum proposuit, et ut Senior de ista Collegiatura, tanquam minori ad alias omnes Collegiaturas Juris Canonici ascensum habeat, Idem Fundator duodecem marcas ex censu praedicto, ad vitae suae tempora, aut quamdiu placuerit, perciperet, residuae vero quatuor marcae Seniori pro sua Collegiatura cederent, coram dicta Universitate intulit, et super praemissis ad vota sua Conclusionem Universitatis obtinuit.

4to

De obligationibus antiquis ejusdem Contubernii Senioris.

Juxta primaevam Erectionem supra citatam Senior Contubernii Jurisperitorum tenebatur qualibet septimana in Bursa duos actus disputare, in Collegio vero Canonistarum Lectionem in Quarto Decretalium exceptis diebus festis, sicuti post festum S. Michaëlis Archangeli usq ad festum S. Galli Confessoris legere, temporibus tamen vacationum propter lectiones, quas continuo in Collegio Canonistarum facit, ad actus in Collegio disputandos non obligatur.

non obligatur. Post mortem vero ejusdem Fundatoris totum censum sexdecem marcarum Senior hujus Bursæ acciperet, et ad majores labores videlicet duos actus in septimana disputandos adstringeretur ordinavit suamq Ordinationem admitti et una Illustrem Nicolaum de Koprzywnica Sacrorum Canonum Baccalaureum, in dictam Collegiaturam eligi postulavit, in qua Convocatione mens Fundatoris in omnibus præmissis punctis ita ut Senior sit de numero Collegiatorum, et promotus in Doctorem, juxta aliorum Collegiatorum morem, habeat jus optandi, seu juxta electionem solidam se elegi et suscipi in altiorem Collegiaturam ac alia officia Lecturarum in Iure Canonico petendi est admissa et subsequenter in alia Convocatione Universitatis sub die Mercurii 24 Ybris Aº eodem habita, quatenus Provisor Bursæ Canonistarum non sit aliqua singularis persona sed Rector cum ordinantibus et dirigentibus eandem, est conclusum.

5to

De fundatione Altariæ secundi ministerii pro Seniore ejusdem Contubernii.

Factis hujusmodi ut præmissum est dispositionibus memoratus Fundator, ad fundationem ipsius altaris processit, ac Literas fundationis de actu et data Cracoviæ die Saturni 17 Ybris Anno eodem 1491. sub sigillo suo consignavit et in iisdem Literis, voluntati prædicti Testatoris Iacobi de Schadek innitendo, in augmentum cultus Divini, et utilitatem personarum in Iure Canonico discentium, altare in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi secundi ministerii tituli S. Ioannis Apostoli et Evangelistæ ante Portam Latinam, cum annexione Collegiaturæ novæ pro Seniore Bursæ Canonistarum Longini nuncupatæ fundavit, eidem altari secundi ministerii et Collegiaturæ tum Altaristæ seu Collegiato et Seniori pro sustentatione, et dotatione censum prædictum sexdecem marcarum pecuniæ usualis, et communiter currentis pro quingentis florenis hungaricalibus de suis et dicti Testatoris bonis et pecuniis, super proventibus Regiis supra descriptis emptum assignavit, usumfructum duodecem marcarum, ad vitam suam alias ad placitum reservavit, post mortem vero suam integrum censum Altaristæ

et Seniori

et Seniori applicavit. Onus unius Missæ defunctorum singulis septimanis pro sacerdote, quocunq die absolvendi, aliaq onera actuum disputandi lectionum legendi, in vita et post mortem ipsius adimplendi imposuit. Jus Patronatus ejusdem Altaris et Collegiaturæ Rectori cum Doctoribus et Magistris actu regentibus et legentibus pro præsentando videlicet Doctore vel Licentiato, aut saltem Sacrorum Canonum Baccalaureo, superioritatem et jurisdictionem in Seniorem Rectori reservavit. Quam census inscriptionem, una cum suis suprascriptis obligationibus ac cessione Juris patronatus Magnifico Rectori totiq Universitati Illustrissimus ac Reverendissimus Princeps ac Episcopus Cracoviensis in omnibus punctis, clausulis et articulis, ac conditionibus admisit et approbavit prædictumq altare S. Joannis ante Portam Latinam de Anno et data Cracoviæ die Lunæ 19. Aprilis 1491. in honorem DEI omnipotentis erexit.

6to

De fundatione dicti altaris immutata

Successu tandem temporis Illustrissimus et Reverendissimus olim Joannes Konarski, Episcopus Cracoviensis censum hunc duodecim marcarum divisit, ut Seniori decem, et reliqua sex in mensam communem studentibus Juri, in eodem Contubernio manentibus cederent, qui Senior tunc temporis de victu mensæ communis participaret. Obligationes eidem Seniori ex hac ratione diminuit, ut nempe actum seu disputationem in septimana ex Jure Canonico semel in Stuba communi absolveret. Lectiones vero in Collegio Juristarum ex Quarto libro Decretalium diebus in priori Privilegio Erectionis Illustrissimi et Reverendissimi Friderici designatis et descriptis, solum diebus Dominicis et ad populum solennibus exceptis legeret. Nihilominus in hoc altari, unam missam pro defunctis absolveret, ceram et vinum ex prædicto censu annuo provideret, apparamenta altaris repararet, ut autem habilior et doctior sit ad regimen Bursæ occurrenti vacatione alicujus Collegiaturæ in Collegio Ju-

Juristarum

Juristarum, Senioris primum respectum habere idem Illustrissimus Konarski voluit. Jam vero pro illis duabus marcis mensae communi applicatis, studentes ipsam Bursam inhabitantes et dictae communis mensae usum habentes, ut singulis quatuor temporibus vigilias trium lectionum, omnes insimul pro animabus Fundatorum in Stuba communi recitarent perpetuo decrevit et ordinavit die 1ma mensis Junij Anno 1519. Qui Illustrissimus Konarski hac sua posteriori Ordinatione altare hoc manuale esse voluit, ob rationem velocioris amotionis ab illo, si Senior minus idoneus ad regendam Bursam esset.

7mo
De fundatione dicti altaris ad pristinum statum reducta

Nihilominus post tredecim circiter annos ad supplicationem Magnifici Rectoris et totius Universitatis Reverendissimus Nicolaus Bedlinski Scholasticus et Officialis Generalis Cracoviensis, uti ab Illustrissimo Petro Tomicki, Episcopo Cracoviensi Judex Commissarius et unicus Executor, attendens quod ultima voluntas Testatoris pro lege servanda sit, et per reformationem Illustrissimi Konarski debilitata, eandem reformationem et restrictionem cassavit, annulavit et mortificavit manualitatem et amovibilitatem illius abolevit, ac fundationem hanc ad ultimam voluntatem seu ordinationem fundatoris, et ad pristinum statum reduxit, de actu et data Cracoviae 26. 8bris 1532. Anno.

8vo
De Translatione summae quingentorum hungaricalium ex macellis in Bona Terrestria.

Praedicta summa quingentorum florenorum hungaricalium deportata est ex macellis sutoreis, et in Bona Terrestria Oppidi Zabno, et Villarum adjacentium et pertinentium videlicet Wszeradza, Klisz, Niecieczą, Oporyszow et Konary prope Civitatem Tarnoviensem in Palatinatu Sandomiriensi

Districtu

Districtu Visliciensi est translata et transportata, videlicet pro summa praefata quingentorum florenorum in auro, deportata summa septingentorum florenorum per sacram Regiam Majestatem Universitati Cracoviensi est numerata, ipsaque summa praemissa capitali septingentorum florenorum auctione census septemdecem marcarum, per Magnificos Paulum Czerny de Vitovice Capitaneum Brestensem et Georgium filium, ipsisque insuper Bonis praedicti Oppidi et Villarum praefatarum censibus proventibus, utilitatibus et obventionibus Universis Oppidanis et Contribonalibus coram Actis Reverendissimi olim Bernardi Galli de Zandra Custodis et Officialis Generalis Cracoviensis die Veneris 16 mensis Aprilis Anno 1512. est inscripta cum obligatione hujusmodi censum septemdecem marcarum pro quolibet festo S. Martini Pontificis et Confessoris solvendi, quae inscriptio per Officium Ordinarium est admissa, altera dicti census et summae Capitalis inscriptio, coram Actis Officii Castrensis Cracoviensis anno et die quibus supra est recognita ac per Nobiles Stanislaum et Adrianum haeredes in Zabno sub die Jovis 26. Augusti Anno 1580. ad Acta Regalia est transportata. Ad praesens dictorum Bonorum haeres et Possessor Perillustris Reverendissimus Dominus Joannes Stadnicki Decanus Cathedralis Crac.

2do

De vindicatione dictae summae quingentorum hungaricalium et census, ab eadem provenientis.

Nescitur quo fato et qua iniquitate temporum suprafata summa Originalis quingentorum hungaricalium, puri auri et justi ponderis, pro dote Altaris S. Joannis ante Portam Latinam in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi disposita per Serenissimum olim Casimirum Regem Poloniae, pro necessitate Regni et indigentia proque conservanda Republica, ut sonant verba Inscriptionis Regiae, recepta et in Institis seu macellis sutorum Cracoviensium pro pendendo annuo censu

censu sedecem marcarum, Seniori Contubernii Jurisperitorum serviente locata successive tandem per Generosum Paulum Gerny de Witowice super Bonis Oppidi Zabno et villis eidem adjacentibus, videlicet Szaradza, Klisz, Niecieczá, Oporyszow et Konary dicta summa quingentorum hungaricalium in auro transportata est, in summa septingentorum florenorum per mediam sexagenam cum censu septemdecem marcarum, quae summa septingentorum florenorum per mediam sexagenam in moneta argentea tuto creditur idem valere et efficere quod quingenti floreni hungaricales in auro originaliter numerata. Haec inquam originalis Summa cum suo annuo censu et dos altaris, pro Seniore Contubernii Jurisperitorum, servatis omnibus solennitatibus juris disposita, et inscripta, nescitur quô fatô deperdita, et penè extincta, vigore cujus dictorum Bonorum haeres et possessor pro tunc Magnificus Joannes Stadnicki Vexillifer Grabovecensis respectu dictarum septemdecem marcarum Seniori dicti Contubernii pro tunc Illustri Clarissimo et Adm Rndo Magistro Jacobo Marciszowski Canonico Voynicsiensi uti altaristae instituto Ecclesiae Cathedralis Cracoviensis S. Joannis ante Portam Latinam, duntaxat florenos circiter viginti octo aerea moneta, obtrudebat, et solutionem hujusmodi, adeo miserrimam offerebat sed eandem dictus Illustris Clarissimus Marciszowski nullatenus acceptare voluit, et eo vel maxime quia ex conquisitis curâ et industriâ suâ primaevis Inscriptionibus et Documentis plenissime didicit, quod dos praefati altaris Sancti Joannis ante Portam Latinam fuerit originaliter in quingentis florenis hungaricalibus in puro auro numeratis, qui idem valent, quod ad praesens vocantur quingenti aurei nummi, quae summa et non alia censetur levata fuisse de macellis sutorum Cracoviensium, tanquam Fisco Regio, et transportata, in statum fermè comitatum Bonorum Zabno, in florenis septingentis per mediam sexagenam moneta pro illo tempore argentea, qui reputari debent idem valere, quod supra dicti quingenti aurei nummi. Ideoque Idem Illustris

Illustris Mariszowski, citari fecit, dictum Magnificum
Stadnicki Vexilliferum Grabovecensem sæpe factorum Bo-
norum hæredem et possessorem, ad Illustrissimum Consisto-
rium Cracoviense, ratione manutensionis primævæ dotis
in quingentis aureis, et ratione reductionis septemdecem
marcarum ut hic census constitueretur proportionaliter
ad summam quingentorum aureorum juxta modernam
currentiam. Processus hic ceptus est in Anno 1750. in
terminis producta documenta Originalia et justificata,
tum similia judicata, producta fuerunt, deducentia quot
antiquarum marcarum, quælibet una præsentibus ære
in florenis adminimum 24. solvi debeat tum etiam mon-
strata sunt Decreta Tribunalis Regni, quæ à Sumoniis
antiquis, in florenis hungaricalibus inscriptis de-
mandarunt solutionem, non in marcis, sed in florenis
proportionaliter ad summam Capitalem in aureis num-
mis inscriptam, juxta currentiam modernarum provi-
sionum, sive censuum exsolvendis. Diu agitabatur hic
Processus et ultimus terminus extraditus est Anno
1753. in ordine ad audiendum Decretum definitivum
hac in causa ferendum, sed ad hoc Decretum non est
deventum ex ratione oblatæ concordiæ sive complana-
tionis ex parte Magnifici Stadnicki Vexilliferis Grabo-
vecensis, qui pro tunc offerebat auctionem census in flo-
renis centum, sed et his noluit supradictus Senior conten-
tus esse, tanquam censu à summa quingentorum aureo-
rum minime proportionato. Migravit tandem Idem
Senior ad Collegium Juridicum et brevi ad gerendum
Rectoratum Academiæ Posnaniensis abscessit, Succeda-
nei verò Seniores partim evitando expensas, cum valde
exiguum habeant ex Contubernio proventum, partim
quia non diu Senioratum gesserunt, et ad Collegium voca-
ti sunt, causam hanc non sunt prosecuti, et hucusq[ue] nego-
tium hoc non est sortitum suum effectum. Promovit ean-
dem deniq[ue] causam Idem Perillustris Mariszowski factus
Canonicus Cathedralis Cracoviensis coram Reverendissimo
Capitulo ex ea potissimum ratione, quod tam Contubernium
Jurisperitorum

Jurisperitorum, quam Ipsum Altare ante Portam Latinam maneat, sub Protectione Reverendissimi Capituli. Quod cognita justa, et legitima petitione commisit, hocce negotium, Perillustri et Reverendissimo Domino Josepho Gurzynski Cancellario Cathedrali Cracoviensi complanandum, et concludendum, præcipue cum Ipsemet Perillustris et Reverendissimus Stadnicki Decanus Cathedralis Cracoviensis Bonorum Zabno Hæres et Possessor, cum hic Processus ceptus et continuatus fuerat, sponte et libere in hujusmodi complanationem consenserit, eandemq acceptaverit, sed et hæc nundum effectuata est ob rationem Interregni et aliorum præpedimentorum. Quapropter supplicandum venit, prædicto Contubernio Jurisperitorum ac Seniori ejusdem, quatenus Privilegiata hujusmodi causa finem suum obtineat videlicet ut summa Originalis, quingentorum hungaricalium pristino statui restituatur, censusq annuus à Summa Capitali, novem millium florenorum Polonicalium, justa modernam currentiam saltim per medium, videlicet in florenis trecentis quinquedecem determinetur, et sic quotannis in posterum per Dominos hæredes et Possessores Bonorum Zabno cum attinentiis, pendatur et solvatur Seniori Contubernii Jurisperitorum uti Altaristæ, quod facile sperare licet, etiam in gratia Perillustris Reverendissimi Domini Decani, assistente ad id æquitate et justitia.

10mò

De obligationibus Senioris uti Altaristæ et supellectili ejusdem Altaris.

Jam supra demonstratum est, quod officia Senioris Bursæ Jurisperitorum, et vi primævæ fundationis seu Erectionis Altaris S. Joannis ante Portam Latinam in Ecclesia Cathedrali Cracoviensi fuerunt hæc

1mò Lectionem tradere et Quarto Decretalium in Lectorio Juridico.

2dò Actus disputationum in materia utriusq Juris peragere pro exercitio Jurisprudentiæ alumnorum in eodem

Contubernio

Contubernio manendium.

3tiò Missam unam, qualibet Hebdomada coram dicto Altari per se, sive alium Presbyterum ad mentem Fundatoris absolvere.

Officia hujusmodi, aliqualiter tantummodo immutata videlicet quod ad præsens Senior Contubernii Jurisperitorum tenebatur tradere lectionem Regularum Juris tam Canonici quam Civilis, juxta ordinationem Facultatis Juridicæ scilicet qualibet Sabbatho, et qualibet pervigilio Festorum cum studia Juridica currunt, cum vero vacant, Regulæ Juris tradi debent, per Seniorem qualibet die videlicet à Dominica Conductus, usq ad Festum S. Adalberti à Festo Stæ Margarethæ ad Festum Stæ Annæ, et à Festo S. Michaëlis Archangeli usq ad Festum S. Galli, quod ad præsens per Seniores ejusdem Contubernii observatur. Item actus disputationum qualibet Sabbatho, durantibus studiis absolvuntur, in eodem Contubernio. Tandem sacrificia Missarum curant iidem Seniores absolvere coram dicto Altari S. Joannis Baptistæ idq ob spem, quod stipendium ex ei Fundationis, sibi competens, juste sibi debitum vindicabunt, et recipient.

Quantum ad Supellectilem dicti Altaris, videlicet calicem argenteam patenam, crucem argenteam inauratam et alia apparamenta, docet visitatio prælibati Altaris 1682. die 28. mensis Xbris (ex qua etiam potissimum præsens descriptio collecta est.) et quæ se etiam ad anteriores visitationes Zadzikovianam et Macieiovianam refert, docet inquam, quod fuerit totaliter deperdita, sed quô fatô vel cujus culpa non ostenditur.

XImò

De aliis Fundationibus antiquioribus ejusdem Contubernii.

In Anno 1520. Habuit idem Contubernium censum annuum quinquaginta sex florenorum communis pe

cunia

pecuniæ Polonicalis á Summa Capitali Mille quadringentorum flo-
renorum prædicta moneta Inscriptum super lapidea Krokierowska
dicta in Urbe Cracoviensi, per Nobilem Valentinum Krokier Con-
sulem Cracoviensem, inter Domum Ozematorum Kozik ex una
et Brekingier parte ab altera consistente, ad præsens dicitur esse
translata in lapideam Pii montis sive Confraternitatis Mi-
sericordiæ Dei una cum summa Collegii Minoris quæ in ea-
dem Inscriptione continetur. Quæ summæ Originales per suc-
cessivam translationem rescissæ seu potius extinctæ sunt,
nec constat aliquando antecedaneos Seniores hujusmodi
census pro parte sui Contubernii vindicasse. In Anno 1519
super Bonis Oppidi Brzysko, et Villis eidem adjacentibus
Mnisiów, Gruszów, et Gonow hæreditariis Conventus
Hebdoviensis locata fuit summa Capitalis 100. marca-
rum antiqua moneta cum censu annuo quatuor marcarum
ejusdem monetæ, inscripta et assecurata Magnifico Re-
ctori Illustribus Clarissimis Doctoribus Magistris
Seniori totiq Communitati Contubernii Jurisperitorum
prævio consensu Serenissimi Sigismundi Regis Polo-
niæ, per Religiosos Abbatem, Priorem, totumq Monaste-
rium in Hebdow ab hac summa et ratione census an-
nui, quatuor marcarum, recipiebat olim Illustris Cla-
rissimus M. Joannes Rypinski J. U. D. Professor Con-
tubernii Jurisperitorum protunc ultra viginti annos Se-
nior per florenos duntaxat sed ut testabantur
Regestra Ejusdem Conventus Hebdoviensis. Recipie-
bat similem quotam, ab initio sui Senioratus, et Illustris
Clarissimus M. Jacobus Marciszowski, sed videns e-
normem læsionem hujusmodi fundationis, instituit
actionem coram Judicio Consistorii Generalis Cracovi-
ensis ratione reductionis quatuor marcarum antiquæ
monetæ ad valorem nunc currentis monetæ communis
juxta Judicata variorum Subselliorum, quæ marcam
unam antiquæ monetæ communis reduxerunt et
decreverunt, solvendam esse saltim in florenis 24.
erea moneta ad præsens currentis. Dumq Dor Se-
nior justificaret hujusmodi reductionem en Procu-
rator

Procurator Conventus Miechoviensis produxit quietationem
de summa centum marcarum factam per Collegium Juridicum
cum translatione ejusdem summæ capitalis in Bona terrestria
Villa Zucżyce; qua visa quietatione Idem Judicium liberum
pronuntiavit eundem Conventum, tam à summa Capitali quam
à Censu intendebat Idem Senior agere pro repositione hujus
modi Decreti, præsertim cum resciret quod Collegium Juridi-
cum habuerit aliam Summam propriam centum marcarum
datam eidem Conventui post conflagrationem pro reparatio
ne ejusdem monasterii; de qua tandem recepta quietavit Colle-
gium Juridicum tanquam de propria summa translata in Bo-
na Zucżyce, ex quibus huc usq percipit censum annuum in
florenis sex, à Magnifico Straszewski unde supponitur alia
fuisse summa centum marcarum data per Rectorem et Docto-
res Universitatis quæ censetur hucusq hærere in iisdem Bonis
suprascriptis Monasterii Miechoviensis. Cæterum cum memora-
tus Illustris Clarissimus M. Jacobus Marciszowski vocatus
ad Collegium Juridicum migravit ex Contubernio et aliis
negotiis ac officiis occupatus extitit vindicatio hujusmodi
summæ et census deserta et abjecta est consequenter su-
pradicta summa centum marcarum cum suo censu in Bonis
conventus Miechoviensis pro deperdita reputanda venit.
Item in Anno 1750. Idem Illustris Marciszowski pro
tunc Senior Contubernii Jurisperitorum agebat in Castro
Cracoviensi cum Generoso Wozniecki sua sortis in Villa
Garliczka hærede et Possessore ratione summæ centum
octuaginta florenorum et in contumaciam obtinuit exe-
cutionem super eadem sorte, tandem compositionem ini-
vit, respectu expensarum litis: sed utrum post hæc aliquid
vindicatum vel receptum est minime constat.
Item reperit Idem suprascriptus Senior aliqua vestigia
quod Contubernium Jurisperitorum habuerit census suos
super lapidea olim Czechowska in platea Castrensi et super
lapidea aciali prope Monasterium Patrum Scholarum Pi-
arum in platea S. Joannis commisit horum quærendam
in Actis Magistratus Cracoviensis, sed post egressum
suum de Contubernio nescitur an succedanei hujusmodi
investigationem prosecuti sunt. Nemo

12mo

De statutis antiquis Contubernii Jurisperitorum

Anno Domini 1485. die lunæ 3. mensis 8bris Rectoratu egregii Viri Mathiæ de Kosten Decretorum Doctoris ad S. Annam Ecclesiæ Cracoviensis Præpositi, pro tunc Universitatis Generalis Rectoris, in Convocatione ejusdem Universitatis in Collegio Artistarum habita, lecta fuerunt, auscultata et approbata Statuta pro domo Bursæ Canonistarum conscripta, quæ hucusq. in distincto libro asservantur antiquo Gothico charactere connotata, vigore quorum sancitum est.

1mo Ut nullus ad eandem Bursam admittatur, nisi fuerit in matricula Universitatis Inscriptus.

2do Ut circa Ingressum solvat Introitales Seniori Bursæ in duobus Hungaricalibus.

3tio Ut circa Ingressum faciat professionem Fidei, una cum addito juramento quod contra Sanctam Romanam Ecclesiam Prælatos Beneficiatos, Jura Ecclesiarum Polonicarum nullo pacto insurget nec quidquam in præjudicium earum intentabit quod Beatam Mariam Virginem DEi Genitricem Patronam vitæ suæ adsciscet Cultumq. ejus promovebit, quod Domino Seniori canonice electo et introducto, in rebus honestis et licitis obediet, Statuta servabit, secreta Bursæ Personis extraneis non revelabit.

4to De assignandis Dispensatoribus qui curam mensæ communis haberent.

5to De Benedictione et Gratiarumactione, tum de Lectione ad mensam.

6to De Ordine sedendi, tum de silentio ad mensam.

7mo De Portionibus mensæ.

8vo De Tarde venientibus vel ante recedentibus a mensa.

9no De supellectili Domestica et boni communis destructoribus

10mo De Introducentibus personas extraneas, multo magis mulieres suspectas.

11mo De adeuntibus loca suspecta, Tabernas, vel lusus chartarum exercentibus vel arma deportantibus.

12mo De Libris Domus.

13tio

13tio De clausura Domus.
14to De Judiciis per Seniorem exercendis
15to De Electione Consiliariorum
16to De Conferendiis et visitatione habitationum
17mo De Actibus absolvendis tam per participantes, quam etiam Gratialistas.
18vo De Collectis necessariis pro reparatione Bursæ
19no De servitoribus alumnorum manentium in Bursa tum de poenis in transgressores statutorum Contubernalium extendendis.
Ceteraq alia pro bono ordine et regimine ejusdem Bursæ decreta et ordinata fuerunt. De Electione tandem tam Provisoris quam Senioris Bursæ Juristarum, per tatam Universitatem distincta conclusiones formatæ sunt, et hucusq observatæ, quarum tenor in actis Universitatis reponitur.

13tio

De Præjudiciis antiquis Bursæ Juristarum.

Præjudicia ejusdem Bursæ vel maxima sunt ex parte vicinitatis Collegii Patrum Societatis JESU ad S. Petrum 1mo Quia prædicti Patres murum antiquum Cæmeterii Ecclesiam S. Petri et Bursam Juristarum dislimitantem, ab initio per aliquas particulas praecibus ad id alin interpositis auxerunt, tandem usi suâ industriâ, supramodum elevarunt, et ad eundem murum ædificia sua Majestuosa extruxerunt, talitérq in notabili multum parte dictam Bursam obscurarunt, tam à septemtrione quàm ab Oriente, ita ut in Residentiis ex adverso hujusmodi murorum Vicinalium Collegii Patrum Societatis JESU recenter per Reverendissimum Capitulum ex fundatione Garvarsciana reparatis, Alumni Garvarsciani nullatenus habitare possint et valeant 2do Quia Bursa præfata Juristarum habuerat ab antiquo Canalem à locis secretis, per quem aquæ pluviales et sordes defluebant post muros Civitatis per aream ad præsens Possessionis eorundem Patrum Societatis JESU ad ædes S. Petri, prout ad præsens habet Famatus Rembski Civis Cracoviensis, sed hunc Canalem Contubernalem dicti Patres obturari jusserunt, cum summa servitute et inhonestate

ejusdem

ejusdem Contubernii olim in loco claro et decenti aedificato vindicabatur hic canalis etiam Juridice prout patet in actis Consistorii Generalis Cracoviensis Lunae 16 Xbris Anno 1680, vindicabatur et per Illustrem Clarissimum M. Jacobum Marciszowski pro tunc ejusdem Bursae Seniorem. Qui hac in re recursum fecit ad Celsissimum olim Załuski Episcopum Cracoviensem, a Quo Iidem Patres requisiti fuerunt, quatenus dictus Canalis Contubernio restitueretur, sed loco restitutionis, caeperunt Iidem Patres amotionem ejusdem Contubernii a sua vicinitate praetendere, offerendo commutationem alterius lapideae pro eodem Contubernio, quod negotium etiam Romae promovebant, et quidquid praejudiciorum faciunt id conantur agere ob praetensam commutationem sive exterminationem dicti Contubernii, a loco suo contiguissimo etiam per constitutiones Regni Privilegiato et approbato.

14to
De suprascriptis Fundationibus tum de aliis subsequentibus ad Idem Contubernium pertinentibus.

Annotatum superius est de lapidea Czechowska, sive Cetrowska dicta, super Qua habet Contubernium Jurisperitorum censum annuum florenorum duodecem a Summa Capitali Ducentorum florenorum, ut docet Inscriptio Mercurii 22 Aprilis Anno Domini 1602do in actis Consularibus Cracoviensibus reperibilis, haec Lapidea fuit olim Alberti Griewosz in platea Castronsi sita. Vindicatio hujusmodi census est pridem neglecta, ideoque investigandum est de situ ejusdem lapideae, et census, juxta Inscriptionem quae in originali habetur et producitur, vindicari debet.

De Lapidea Szamati olim Valentini Krokier, de qua supra mentio facta, docet excerptum ex promptuario

Jurium

Iurium Collegii Iuridici Fol. 152. quod super eadem inscriptus sit census reemptionalis quinquaginta sex florenorum antiqua moneta pro summa Capitali mille quadringentorum florenorum, similiter pecuniæ antiquæ inter plateam publicam alias Swieczka dicta, ex una et lapideam Sebastiani Cygler Civis Crac. partibus ex altera et quidem censu quadraginta florenorum, cum summa Capitali mille florenorum inscriptus pro communi mensa Studiosorum Bursam Iuristarum inhabitantium. Alter vero census sexdecem florenorum cum summa Capitali quadringentorum florenorum locatus est pro usu mensæ Communitatis Collegii minoris Artistarum. Inscriptio hujusmodi est de Anno 1520 Feria 4ta in vigilia Corporis Christi Domini.

De Censu Quatuor marcarum super Bonis Conventus Hebdoviensis hoc super additur. Quod ad Instantiam Illustrium Clarissimorum M.M. Jacobi Marciszowski, uti immediati, et Andreæ Lipiewicz uti succedaneæ Bursæ Iuristarum Seniorum extradita fuerit citatio, pro repositione Decreti et intimata Religiosis ac Reverendis Patribus Conventus Hebdoviensis Anno 1755to die 4ta Mensis Februarii, et rationes conscriptæ extant, quod Quietatio de summa Capitali centum marcarum facta per Clarissimos Dominos Collegas Iuridicos minime regulatur ad summam centum marcarum distinctim Ipsi Contubernio Iuristarum servientem. Ideoq censenda est eadem summa cum suo censu hærere super iisdem Bonis Conventus Hebdoviensis, sed hanc causam Succedanei Seniores non promoverunt, forte ex eo quod vitarent litis expensas, vel quia non diu in officio Senioratus permanserunt. Est quoq excerptum ex promptuario Iurium Collegii Iuridici fol. 126to Quod super Domo Lapidea Ozęgowska dicta sartoris et Civis Cracoviensis fuerit inscriptus census florenorum viginti per mediam sexagenam in moneta Polonicali antiqua à Summa Capitali

Quadringentorum

Quadringentorum florenorum similiter per mediam sexagenam pro Seniore et Studiosis Domus Longini alias Contubernio Jurisperitorum Anno Domini 1572mo Feria 5ta ante Festa Pentecostes, coram Officio Consulari Cracoviensi, et in Actis Reverendissimi olim Lucæ Poloczki Præpositi Gnesnensis, Canonici, et Sede Vacante Episcopatus Cracoviensis Administratoris. Ubinam hæc lapidea consistat, inquirendum, Nam nihil constat, si Qui seniores dictum censum vindicabant et percipiebant. Dicta lapidea notatur fuisse in platea S. Joannis jacens penes lapideam Jastrzębowska dictam, in actis de Anno ut supra.

Item est vestigium in Actis Consistorii Crac. de Anno 1526. Die Lunæ 7ma mensis maji, quod Honorabilis Dnus Thomas de Radomskie, coram Notario Publico Jacobo Pobiedziski in Palatio Bursæ Juristarum inter curiam Magnifici Thesaurarii Regni sito, deliberando de censuris Providos Joannem Caspacz Proconsulem, Georgium Kozlicz, Nicolaum Niebozowski, Oppidanos et Consules Zathorienses ad Instantiam Magistri Joannis Sanak dictæ Bursæ Juristarum senioris legitime latis, libere recognovit se sex florenos pecuniarum ratione annui census, per dictos Oppidanos quotannis solvi solitos recipiendi, eidem Magistro Seniori teneri et debere, quos se hinc intra duas hebdomadas obligavit soluturum sub iisdem censuris Ecclesiasticis. Et in hanc vim suam suprascripti Zathorienses decernuntur absolvendi. Præsentibus Dominis Joanne Lectore Missarum Castri Cracovien. Joanne Caspacz de Zathor, Hieronymo Jasinski servitore Domini Senioris. Et ibidem expensa seu fatyga taxabitur post solutionem Processum factam. Sed ad hoc vestigium non habetur originale Inspetendi: nec scitur ratio cur hujusmodi census cum sua Summa Capitali qualis illa fuit oblivioni datus cum non constet, si quando vindicandus fuit.

Notanj

Notanq. Item de censu super macellis Tarnoviensibus habet Extractum Collegii Juridici fol. 23. tale — Joannes Albertus Dei Gratia Rex Poloniae supremus Dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae Dominus et hæres. Significamus tenore praesentium etc. quia habitis certis respectibus ad meriti Magnifici Joannis Amor de Tarnow Castellani Cracoviensis Ejusdemq. permoti censum annuum decem marcarum in macellis carnificum et saliceldis in Oppido Tarnow in Terra Sandomiriensi sitis pro quacunq. pecuniarum summa in talibus dari consueta, Domino Paulo de Zalesie Decretorum Doctori, in vim reemptionis, alias na Wyderkaff admisimus vendendum et Inscribendum propterea eundem censum decem marcarum, admittimus Ecclesiasticae libertati et immunitati adscribi et incorporari. Datum Cracoviae Feria sexta Festi Sancti Francisci Confessoris Anno Domini 1499no. Caeterum Inscriptio hujusmodi census et quaenam sit Capitalis Summa ejusdem non habetur, nec scitur siquando vindicabatur.

Notanq. Item Ex eodem Libro Promptuarii Juridici fol. 78. habetur annotatum Decretum in causa census in villis Sieciechowice et Tomaszowice locati tale Nos Marcellus Philonardus Author Generalis et Judex in causa inter Reverendum Dominum Valentinum Wilozogdochi Canonicum Luceoriensem Principalem Actorem in prima Instantia appellantem ex una et Admodum Reverendum Bartholomaeum Januszewicz Uq. Juris Doctorem, Collegiatae Sae Annae Praepositum partibus ex altera, super censu reemptionali decem marcarum, pecuniae Polonicalis in Bonis Villarum Sieciechowice et Tomaszowice ad salvendum per haeredes Earundem Villarum Inscripti et obligati etc. Visis et auditis Primae Instantiae rationibus, Juribus, munimentis, exceptionibus, et replicationibus partium, necnon rationibus inde resultantibus et maxime rei contractu sive Inscriptione in Anno 1683tio census reemptionali decem marcarum a florenis quadringentis, per Generosos Marcum in

Sieciechowice

Siciechowice, et Lucam in Tomaszowice, Fratres germanos hæredes, singulariter Bona possidentes juxta voluntatem et intentionem Venerabilis Domini Michaëlis de Pacanow Altaristæ S. Lazarij in Ecclesia Sᵗᵃ. Mariæ Magdalena Inscripti et assecurati etc. dictum Adm Reverendum Bartholomæum Januszewicz Jŭris Uqᵉ Doctorem ac suc collectorem provendtuum Bursæ Juristarum, à petita restitutione præfati census liberum pronunciamus etc. in posterum verò censum præfatum, tam ex Bonis Siciechowice quam et Tomaszowice à Provisoribus seu Succollectoribus provendtuum Bursæ Juristarum, juxta obloquentiam obligationis exigendum et percipiendum stare robur decernimus etc. Ita indicavi Ego Marcellus Philonardus Generalis Auditor et Judex Lata. Lecta et promulgata die Jovis 20. mensis Augusti Anno 1637mò. Præsentibus etc. Nihilominus Originalis Inscriptio dictæ summæ quadringentorum florenorum in Originali imò neq copiatim habetur, nec similiter constat si quando hujusmodi census vindicati fuerunt. Item ex eodem Promptuario Collegii Juridici fol. 100. de Donatione decem marcarum pro mensa Bursæ Canonistarum habetur desumptum tale = Ad onus Pastorale superna Dispositione vocati curis angimur assiduis, ut juxta crediti Nobis Officii Studiorum commoditatibus quantum possumus consulamus, proinde Nos Joannes Koniarski Dei Gratia Episcopus Crac. tenore præsentium significamus. Quomodo Venerabilis Vir Dominus Nicolaus de Koprzywnica Decretorum Doctor et in Eodem Jure Studii Cracoviensis ordinarius Lector uti et tanquam unicus Patronus Altaris secundi Ministerii Tituli Sanctorum Joannis Eleemosynarii, Joannis Baptistæ et Jacobi Apostoli in Ecclesia Sᵗᵃ Mariæ Magdalenæ noviter erecti coram Nobis personaliter constitutus exposuit. Qualiter Scholares in Jure Studentes et Bursam Juristarum inhabitantes magna incommoda paterentur, propterea quod illis de communi mensa pro

visum

provisum non fuerit cogandurq per diversa hospitia victum sibi quærere, et pro eo expensas facere, quod studiosis, et quietis animis plurimum nocumenti adferre dignoscitur. Unde postulavit, quatenus dictum Altare Bursæ præfatæ Juristarum pro mensa communi studentium in jure, illic habitandium adscribere et incorporare dignaremur, juxta ordinationes infrascriptas dc. dc. ibi — Cum autem dictum altare sive per liberam resignationem, sive per obitum vacabit, fructus seu census ipsius Altaris videlicet octo marcæ, pro mensa communi Scholarium Bursam Juristarum inhabitandium et in Jure diligenter studentium converti debent. Illi vero qui studiis Juris non incumberet emolumentis census dicti altaris, uti et frui non possunt. Ad quod Ordinarius Juris Lector et dictæ Bursæ Senior superintendere tenebuntur. utq census omnis decem marcarum ex Zuppis Vieliciensibus proveniens debite conservetur, et ubi opus fuerit expendat Præpositus Collegii Canonistarum, ipsum colliget et ad cystulam reponet in libraria dicti Collegii Canonistarum servandum: ad quam ipse cum Ordinario Lectore et Seniore Bursæ claves habebunt. Qui sacerdotem aliquem ad legendam unam missam singulis septimanis in præfata Ecclesia S.ae Mariæ Magdalenæ circa altare majus pro anima sacerdotis olim Joannis Vladislaviæ dicti Altaris fundatoris ordinabunt. eiq unam cum media marca pro tali missa cera, vino, et reparatura apparamentorum ex cystula census præfati decem marcarum solvent et tribuent, residuum vero pro usu studentium convertent, de quo si opus fuerit rationem facient Dominis Doctoribus Canonistarum. Postquam autem Domino favente mensa communis in dicta Bursa Juristarum fuerit constituta et sæpe dicti altaris pecunia accepta extunc studentes Bursam Juristarum inhabitandes et ex dictis pecuniis mensa communi uti fruentes omnes insimul vigilias, pro anima præfati fundatoris novem Lectionum, adinstar Bursæ Jerusalem in quatuor temporibus, in Stuba Communi

orare

orare tenebuntur et erunt adstricti. Praepositus autem Domus Canonistarum vel Senior Bursae Juristarum tenebitur singulis quatuor temporibus ordinare Sacerdotem, qui legat Missam pro anima dicti Vladislavitae in Ecclesia in qua Missa Universitatis decantabitur prout solet fieri pro Domino Medrzyniski, solvetq Sacerdoti legendi unum grossum ex dictis pecuniis et ibidem in sermone per Baccalaureum Theologiae celebrari solita saepefacti Fundatoris pia commendatio fiat. Nos vero Joannes Episcopus etc. praefata omnia decrevimus ea omnia suprascripta in omnibus tenenda et observanda. In quorum singulorum fidem praesentes Literas Privilegii subscribi et publicari jussimus. Sigilliq nostri appensione communiri fecimus. Actum Cracoviae die 2da mensis Aprilis Anno Domini 1542. praesentibus etc. Nihilominus et hujusmodi Fundationem est ab antiquo in possessione Contubernii et Munimenta ad eandem necessaria desunt, nec constat, si et quando vindicari potuit.

Item habetur notatum quoddam Sumptum ex Visitatione ejusdem Contubernii quod Bursistae Jurisperiti percipiebant pecuniam, pro communi mensa quae ipsis per Dominos Visitatores solvi debebat, prout extant Conclusiones Rectoratu Rndi Martini Glicyi S^{ae} Theologiae Doctoris cum assensu Excellentium Jurisprudentiae Doctorum de Anno 1592no die 1ma Aprilis lata, sed et hoc interesse sive concernens quomodo extinctum sit ignoratur.

Rationes quibus neglecta vindicationis suprascriptarum fundationum sive aliarum forte deperditarum excusari valent possunt esse hae — 1mo frequens mutatio Seniorum dicti Contubernii Jurisperitorum Seniorum, nam memoria nostra ab Anno 1748vo ad Annum nunc currentem 1766tum intra annos 18 numerantur fuisse Seniores octo unde dicti Seniores intra duos vel tres Annos Officii sui non potuerunt habere plenam notitiam singularum fundationum, vel etiam videndo proximum

ascensum

ascensum ad Collegium Juridicum easdem vindicationes Contubernium respicientes negligebant. Fuit quidem Illustris olim Joannes Rypinski Senior Ejusdem Contubernii ultra Annos viginti sed post subsecuta Ipsius insperata et subitanea fata nulla documenta reperta sunt enucleantia suprafatas fundationes, imo nullum vestigium extat, si aliquem Processum circa vindicandas Contubernales fundationes prosecutus est. 2do neglectae dicta vindicationis praesumitur esse fundamentalis ratio mutatio monetae praecipue Regnante Joanne Casimiro Magno, cum pronotabili quantitate summa, pro pecunia proba et argentea boni aut auri puri obtrudebatur alia pecunia minuta, depravata et aerea minime aequivalens et adaequans census. Superioris saeculi et antea actorum Annorum. Unde videbatur potius Senioribus non recipere malam monetam ob spem sortem melioris successurae sicq negligebatur receptio censuum usq ad oblivionem eorundem 3tio. Justa excusatio haberi potest ob neglectas dictas vindicationes summa insufficientia Seniorum Contubernii Juristarum. Quorum salaria et concurrentia ne quidem pro honesto victu aut amictu sufficiunt omnes autem vindicationes trahunt post se notabiles sumptus pro sufferendis expensis litis 4to. Pariter justa excusatio adferri potest, ex ratione subsecutae conflagrationis Contubernii Ejusdem de Anno 1719no. ex occasione Patrum Societatis JCJu Collegii ad S. Petrum quo tempore totum Contubernium sicut et Collegium Juridicum imo tota fere Canonicalis platea igne consumpta est, ideoq recte inferri potest, quod et Erectiones Inscriptiones, aliaq documenta ad fundationes Contubernii Jurisperitorum servientia, igne consumpta extiterint

Excerptum memorabile de Contubernio Jurisperitorum ex vita Joannis Dlugossii sive Longini Canonici Cathedralis Cracoviensis Collegii Juridici Senioris

Patris

Patri Nominati Archi Episcopi Leopoliensis ibi=
ex adverso Collegii Juris Consultorum coëmpta ingenti
area et ab omni Regio vectigali liberata Domum egregi-
am amplitudinis insignisq Structura, ex cocto latere
ab ipsis fundamentis edificavit eamq pro habitaculo
assignavit illis qui Pontificio Juri operam impenderent ac.

15to

De Fundatione Garvarsciana.

Anno Domini 1635to, quo tempore omnibus fere emolu-
mentis et subsidiis destitutum fuit Contubernium Ju-
risperitorum providit Dominus insignem Benefacto-
rem Perillustrem olim et Reverendissimum Stanislaum
Garwarski Canonicum Cathedralem Cracoviensem
de familia Grzym alitarum. Qui duas Villas, nimirum
Sieradzice et Wrzosowice, eidem Contubernio incorpo-
ravit, pro alendis Alumnis Jurisprudentiæ in Univer-
sitate Cracoviensi operam navantibus. Quæ fundatio
approbata est per Constitutionem Regni de Anno
1662do. tit. approbatio fundationis Garvarscianæ
Na Instancyą Woyska Naszego Koronnego Funda-
cya Wielebnego Jmci Xiędza Garwarskiego Kanoni-
ka Krakowskiego na Syny Szlacheckie przy Akade-
mii Krakowskiey uczynioną we wszystkim approbu-
iemy, y Wsi do tey fundacyi należące Sieradzice y
Wrzosowice w Woiewodztwie Krakowskim leżące,
od chlebow, stanowisk, przechodow Zolnierskich y
wszystkich Woyskowych ciężarow in perpetuum u-
walniamy, et circa eadem Jura Terrestria iako
primitus były zachowuiemy.

Fundatio hæc Garvarsciana subjecta est Protectioni
Reverendissimi Capituli, ut docent Acta Capitularia de
Anno 1635to. Sabbatho die 13 8bris ubi etiam Ordi-
natio facta est quatenus viginti quatuor Alumni ex
Palatinatu

Palatinatu Plocensi oriundi in eadem Bursa Juristarum conserventur, et iisdem de victu hebdomadari provideatur. Tum ut præter Provisorem Canonicum Cathedralem ex Collegio Juridico. Qui semper ab antiquo fuerat etiam alter Provisor ex parte Reverendissimi Capituli constitueretur. Qui rationibus perceptorum et expensorum faciendis, adessent, ac omnia, quæ ad progressum hujus Contubernii pertinent unanimi Consilio et consensu, sub beneplacito tamen Venerabilis Capituli, quoties opus esset exequirentur. Suntque ad præsens Provisores ejusdem Contubernii Perillustres et Reverendissimi Valentinus Drewski et Jacobus Marciszowski Canonici Cathedrales Cracovienses.

Bursa hæc ex mente Ejusdem Fundatoris instituta est sub titulo Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ. Contubernales in ea manentes debent esse Nobiles potissimum de Terris et Districtibus, et Familia Fundatoris, alias juxta arbitrium Venerabilis Capituli Cracoviensis tanquam Patronorum. Qui debent esse Academiæ Cracoviensi juramento incorporati, Studia et pietatem non alibi discentes, quam in locis et sub Personis Academicis, nec nimium pueri, nec nimium adulti, sed in ætate, quæ ad tractanda studia habilior est. Numerus illorum ex reditu et provendu Dictarum Villarum, ut obloquitur prædicta ordinatio, potest sustentari ultra vel triginta personas, ut alias competenter alantur non habentes occasionem dissolvendæ disciplinæ, et habentes domi unde vivant. Ante aliquod Annos cum moneta anterior durabat dabantur pro quolibet Alumno Garvarsciano alias pro communi Ipsorum mensa unicuique per grossos 40. ad præsens cum moneta deterior successit, et pretia rerum etiam commestibilium crescere cæperunt disposuit Reverendissimum Capitulum, quatenus cuilibet

alumno

alumno Garvarsciano qualibet hebdomada cederent florenj 2. pro mensa ipsorum communi convertendi.

Locus pro mansione saepefatorum Alumnorum ex praescripto altè memorati piissimi Fundatoris assignatus est ut supradictum Bursa Juristarum ab eruditissimo Joanne Dlugossio Canonico Cracoviensi fundata, quam meritò restauravit Venerabile Capitulum iniquitate temporum desolatam, praecipuè cum sit vicina residentiae Capitulari et in oculis posita Dominorum Canonicorum, ut haberet Venerabile Capitulum (ad quod Juspatronatus spectat) inspiciendi commoditatem in disciplinam et profectum Domus illius et collocandi illic suos consanguineos et clientes, quorum institutio eo securior censetur, quia est innocuis Patronorum, et extra turbam conversationemq; reliquorum Studiosorum, hoc praecustodito quod iidem Contubernales non debeant esse addicti, sed vitio alicujus sed pure literas tractent, et sub disciplina Bursali vivant maneantq; in Bursa.

Institutio Pietatis ex obligatione Praelaudati Fundatoris haec est assignata, quatenus singulis diebq; ad sonum campanae congregati in hipocausto communi Officium Beatae Mae Virginis recitent, missam audiant et singulis diebus Vesperè Litanias de B. V. Maria absolvant. Qualibet mense in Festis B. M. V. aliisq; celebribus sacra Confessione conscientias suas expient, et sanctissimo Eucharistiae fruantur Sacramento. Item ut singulis mensibus feria 6ta prima mensis Officium defunctorum pro anima Fundatoris absolvant. Item diebus Festis et Dominicis conveniant ad Capellam Maciejovianam in Cathedrali Ecclesia ibiq; sacra audiant et concionem. Item diebus ferialibus praescriptum est, ut capellam Sae Mariae Magdalenae adeant, ibiq; Sacrificio Missae adsint, et vespere Litanias decantent, sed hoc ultimum punctum non est in usu, quia à diebus Alumni in Oratorio Academico vel alibi Sacrum audiunt, Officium autem par-

parvum de Beata cum Litanias Lauretanas in Stuba communi Contubernii recitant et pro Catechismo perdiscendo ad Ecclesiam S. Annæ condescendunt.

Disciplina ex mente Fundatoris præscripta est, quatenus sit rigorosior, quam in aliis Bursis et vix remissior illa quæ habet in Seminario, optatq Idem Fundator, quatenus plures in Contubernio haberi possint, qui ad Statum Spiritualem aspirent. Unde obligatur Senior, quatenus sciat quo quisq vadat unde veniat, ut bini emittantur et tempus redeundi iisdem à Seniore præfigatur. Item ut sciat Senior quas quisq Lectiones audiat, quarum conferentias Contubernales facere debent statis horis in quas Senior introspicere debet. Puritas vitæ et modestia talis demandatur à Fundatore qualis decet Contubernales Sanctissimæ Virginis. Usus latini sermonis perpetuus demandatur et morum exacta observantia, et ut discoli, temerarii, indisciplinati et incorrigibiles castigentur.

Institutio Literarum optatur à Fundatore hujusmodi ut ii tantum recipiantur ad Contubernium, qui Juri Canonico et Civili operam darent. Cæterum permittuntur et ii recipi, qui Philosophiam, sive alias humaniores Literas tractant modo easdem diligenter perdiscant, et ut saltim unam lectionem Juridicam frequentent, ut capaces participandæ Fundationis existant. Item singulis septimanis debent fieri disputationes communes more aliarum Bursarum, et ut alumni discant scribere citationes, formulas Judiciales Instrumenta Contractuum et ut praxim et exercitia juris non negligant adque manuduci debent per Seniorem, Qui ipsis loco Directoris erit.

Victus alias mensa communis alumnorum præscribitur ut habeant prandium, cœnam, panem cerevisiam, quamvis non affluentem sed modicam, cum qua possint in disciplina contineri. Prohibetur autem ne Contubernales privatos sumptus, convivia Compotationes et refectiones faciant. Ratio expensorum combinari debet ex modo

vivendi

vivendi Contuberniorum Universitatis et Seminariorum, ut victus sit multo amplior quam in cæteris Contuberniis, et minus Delicatus quam in plerisq́ Seminariis.

Officiales voluit supradictus Fundator habere Duos Provisores ut supradictum scilicet unum ex Venerabili Capitulo Cathedrali Cracoviensi, et alterum Canonicum Jurisconsultorum Qui velint promovere rem pietatis et literarum cum bono zelo Academiæ et Juventutis. Procurator Venerabilis Capituli debet a Seniore et Dispensatoribus expensorum rationis recipere, quas liberum erit cuilibet ex Venerabili Capitulo inspicere. Senior Bursæ debet præesse Regimini. Qui ut Sacerdos sit optandum et expetendum est ab Universitate, qui salario 100. florenos honorandus erit et victu cum cæteris gaudebit. sed ponentes alias privatos discipulos suos alere non debet in præjudicium Bursæ. capellani verò pro faciendis Sacris a Seniore et Provisoribus conducendi erunt. Ad præsens hujusmodi capellani non conducuntur, ut et in ante non conducebantur cum id nulla necessitas exigat. Senior verò non habet mensam communem cum Bursistis, sed pro septimanali victu participat ex eadem Fundatione florenos tres pro annuo autem salario duntaxat percipit flor. 165. g 18. Quam portionem tam pro victu, quàm salario intalend Seniores nimis esse pro se exiguam, et meliorationem ejusdem expetunt, cum alumnis aucta sit portio, et pro Seniore non.

Receptio et dimissio Contubernalium præscripta est hujusmodi quod scilicet facultas præsentandi et nominandi alumnos spectet ad Venerabile Capitulum Cracoviense habito respectu ad consanguineos Fundatoris. Quorum propinqui potiorem in Bursa locum habituri sunt. Receptio spectat ad suprascriptos Provisores, quos Senior introducet et metriculæ inscribet, sed non aliter, nisi incorporatos Universitati per Juramentum cum particulari Sacramento de servanda obedientia Statuti

et honestate

honestate Domus et iidem suscipiendi Contubernales circa ingressum professionem fidei faciant, addendo in fine Beatam Mariam semper Virginem Dei Genitricem Patronam totius vitæ meæ adscisco et accipio Ei proposse mei famulabor cultumq ejus promovebo. Contra SacroSanctam Ecclesiam Romanam Prælatos, Beneficiatos, Juraq Ejus nullo pacto insurgam, machinabor, et quidquam movebo faciamve. Dimissio eorundem Contubernalium ordinaria est completo scilicet trium annorum spatio, ne alias sint perpetui utq communicentur amplius beneficia Fundatoris et extra ordinaria seu ex causa, maxime propter inobedientiam contumaciam delicta et incorribilitatem, qua in re servandus erit usus Universitatis, nec quisquam dimittatur sine scitu Provisoris. Reliqua, quæ ad Constitutionem Ordinationem, Directionem, et bonum profectum Contubernii facere possunt desumantur ex Statutis Bursæ Juristarum Antiquis.

Hæc omnia deprompta sunt ex Ordinatione pro Studiosis Garvarscianis disposita, per Reverendissimos olim Joannem Toxium Archidiaconum et Albertum Stebryski Canonicum Cracoviensem, Executores Ejusdem Fundatoris coram Reverendissimo Capitulo Cracoviensi producta, et ab eodem confirmata et approbata. Quæ etiam Ordinatio in aliquibus punctis pro meliori Domus et Alumnorum Regimine adaucta et in distinctum Codicem relata ad asservandum, et observandum relicta est in Contubernio Jurisperitorum, post conflagrationem ejusdem subscripta per Reverendissimum olim Nicolaum Wyzycki, Archidiaconum Cathedralem Cracoviensem Anno Domini 1725to.

16to

De fundatione Tylliciana.

Anno Domini 1635to die Jovis, 8va Februarii de fundatione

Fundatione Tyliciana, in Actis Capitularibus haec notata leguntur quod Reverendissimus olim Jacobus Nagmanowicz U.J. Juris Doctor et Prof. pro tunc Universitatis Generalis Rector exposuerit Reverendissimo Capitulo quia summa Quinque millium florenorum Polon. ex Fundatione Illustrissimi olim Petri Tylicki Eppi Cracoviensis pro studiosis Jurisprudentiae legata et donata penes ipsum haerebat, a qua census pro sustentatione eorundem provenire debebat. Ideoque Perillustres Domini hujusmodi piam Fundatoris intentionem ad debitum effectum producere cupientes, Decreta et Ordinationem in praemissis per dictum Dominum Rectorem factam acceperunt, et actis suis inscribi mandarunt tenoris sequentis — Ex Fundatione Illmi olim Petri Tylicki Episcopi Cracoviensis constituti sunt, et fundati quatuor studiosi in Academia Cracoviensi Juris Civilis et Canonici in florenis 350. provenientibus, a summa Capitali Quinque millium florenorum, locata super Bonis Villae Tegorice infrascripto modo et conditionibus 1mo. Ut dicti quatuor studiosi, percipiant septimanatim florenum unum singuli qui eis numerabitur per Vice Procuratorem Venerabilis Capituli, aut Procuratorem vel Provisorem eorundem. Quia vero iidem studentes habitabunt in Contubernio Jurisperitorum, solventur eidem Contubernio singulis annis floreni 30. convertendi vel pro lignis, vel pro sartis tectis, reliqui vero floreni 20. cedent Provisori. Qui inspiciet in diligentias eorundem studiosorum 2do. officia qui participare de hoc beneficio voluerint haec erunt — Ut inhabitent Bursam Jurisitarum Cracoviae, et secundum ejus leges vivant ut lectiones ad minus tres vel duas audiant, in Jure Civili et Canonico ut sese exerceant, in Processu Juris stylo Cancellariae conscribendis Instrumentis et caeteris

idque ad normam

idq ad normam Curiæ Romanæ, et Consi. Crac. consvetudinem. Tandem istis conditionibus alliciuntur ut in Ingressu sise obligent, sub Juramento, quod nunquam S. Romanam Ecclesiam oppugnabunt, et quod pro Anima Fundatoris singulis mensibus Officium defunctorum recitabunt, et singulis diebus unum Pater, et unum ave, vel Psalmum de profundis quamdiu erunt in Studio 3tiò Habebunt Provisorem unum ex Collegio Professorum Juris Canonici, qui eos recipiet inspicietq in diligentias eorum et ex causa amovendos deferet, ad Procuratorem Venerabilis Capituli, Ibidem si designatum tempus participandi de Bursa, id est triennium exegerint, presentatio aliorum Alumnorum nominato Provisori ad Reverendissimum Capitulum Crac. spectabit. Idem habetur in Actis Reverendissimi Capituli de Anno 1662mo. die 8va Februarii ibi = Quoniam semper eamens et voluntas. Illmi olim Petri Tylicki Eppi Cracoviens. fuit, ut pensio sive Borsana nonnisi illis Juvenibus sive Studiosis extradatur, qui Juri Canonico tractando apti fuerint et stylum Cancellariæ Consii Cracoviens. exercuerint, Ideò Domini Capitulares, conformando se voluntati præfati olim Fundatoris ad percipiendam Borsanam, neminem esse admittendum, nisi prius Reverendissimo Capitulo tali studiosis presentatus fuerit, et requisita sufficienter præscripta habuerit, decreverunt.

11mò

De Fundatione Borastoviana.

Anno Domini 1663. die 27. Februarii acessit Fundatiò Perillustris olim Gregorii Borasti Canonici Cathedralis Cracoviensis, cujus ultimæ voluntati satisfacere Reverendissimi Domini Capitulares, Summam sex millium Polonicalium

Polonicalium, super integra Villa Mnichow dicta, servatis de Jure solennitatibus locandam et inscribendam, atq ipsio Domino Lubienski enumerandam decreverunt, cujus annuum censum, disposuerunt, pro sex adolescentibus natione si fieri potest Suetica, alias in defectu horum ex Prussia vel ex Regno Poloniae Oriundis, studia in Academia Cracoviensi tractare volentibus ut unicuiq ipsorum cederet unus florenus qualibet septimana, Seniori Bursae Jurisperitorum quolibet Anno floreni 20, Venerabili Capitulo pro evictione Jurium, et in consolationem floreni 80. Vice Procuratori flor. 8. solvendos ordinarunt, cum ea declaratione, quod hujusmodi studiosi Fundationis Borasti admitti non possint, nisi prius in Capitulo praesentati, et cum literis recommendatoriis et testimoniis bonae suae conversationis.

Fundationem hanc Borastovianam auxit tandem Perillustris olim Zacharias Szulc, Canonicus Varmiensis data summa flor. 3000. in censum reemptionalem super Bona Villae Wychadtow inscriptum in Castro Cracoviensi Feria sexta post Dominicam Misericordiae Anno 1695to. pro auctione provisionis septimanalis iisdem Studiosis Varmiensibus a Capitulo Varmiensi recommendatis qui in Contubernio Jurisperitorum manentes iisdem legibus, et in eodem observatis vivere et obedire studiisq in Academia Cracoviensi et praesertim in Jure incumbere debent, ut redeuntes in Patriam pietate et scientia instructi esse valeant.

Alumni Fundationis tam Borastovianae quam Tylicianae non distinguuntur ad praesens a Garvanscianis, quod ad studia aequaliter tractant, sive Theologica sive Philosophica et praecipue Juridica exercendo se etiam in stylo Cancellariae sive Consistorialis sive Castrensis attendendo quoq circa Judicia tam Spiritualia quam saecularia, ad inductiones causarum, Formularia actus Ju-

diciorum

Judiciorum et Decreta, qui diligentiores sunt, sibi ex Actis Officiorum perscribendo, et sese ad munia Notariorum, Procuratorum, sive aliarum Personarum ad Judicia requisitarum, aptando et habilitando. Quo vero ad perceptionem septimanalium concernentium iidem alumni, inter se differunt, quia Garvarsciani, ut supra annotatum est, percipiunt, quisq per florenos 2. eosq pro mensa communi convertunt, Tyliciani vero et Borastoviani percipiunt duntaxat per Grossos 40. quavis hebdomada. omnium vero alumnorum, participantium ex dictis Fundationibus praesertim ad praesens paucus numerus est, ut infra patebit, Garvarsciani ex Palatinatu Plocensi non adeo conveniunt, modica enim ipsis videtur Provisio haec, commoditates in majori pretio extant, et caro venduntur, Tyliciani similiter et Borastoviani Grossis 40. in hebdomada sustentari nullatenus possunt, quorum Summae Capitales Fundationales, in suis annuis censibus ultra dimidium diminutae sunt, dictiq census non modo diminuti sed saepe detenti vindicari debent, et in pecunia non modo exigua sed insuper corrupta et depravata solvuntur, taliterq Contubernales, Jurisperiti pauci habentur, ob insufficientes ad praesens Fundationes et calamitatem temporum.

Percepta sicut habetur ex erario sive vice Procuratoria Reverendissimi Capituli, ita in Regestris ejusdem annotatur, si quae Fundationes suprascriptae vindicantur, et ex iisdem percipitur, expenditur ex iisdem pro Alumnis, si non solvuntur, nihil pro Alumnis cedit, sed expectare coguntur, Rationes vero perceptorum et expensorum ex dictis Fundationibus Garvarsciana Tyliciana et Borastoviana, fieri solent, quotannis circa Festum Translationis S. Stanislai Eppi et Martyris, coram deputatis a Reverendissimo Capitulo Calculatoribus, prout Regestra liquidata et approbata Eundem

Rndmi

Reverendissimi Capituli obloquuntur.

18vo

De Bursana Ckartoviana

Anno Domini 1722do. Feria 4ta ipso die Festi divisionis S.S. Apostolorum, Illustris olim Joannes Ckart J.U.Dr et Pfr Collega Juridicus, pro incremento studii ejusdem inscripsit summam mille florenorum Polonicalium, pro censu annuo floren 60. super Bonis Villæ Luciyce ad præsens Magnifici Floriani Straszewski hæreditariis. Hic census percipitur per medium in flor. 30. ab aliquot annis redendus, interea non vindicatur, ob rationem corruptæ monetæ, vindicari autem solet et debet, per Seniorem Ejusdem Contubernii, et alicui Auditori Juris diligentiori in consolationem tribui et expendi

19no

De aliis Studiosis Contubernium inhabitantibus.

Præter Alumnos, de suprascriptis Fundationibus participantes, conveniunt etiam ad idem Contubernium multi ex remotioribus oris, uti Majori Polonia Russia Prussia Lithvania, ac aliis Regionibus Nobiles Studiosi, tam ad perdiscenda, Jura Spiritualia quam Sæcularia Item habitant in eodem Contubernio etiam Studia Humaniora tractantes cum suis D. Informatoribus Philosophiæ Baccalaureis, vel Professoribus, sed hi omnes reguntur iisdem Statutis Contubernii, tam antiquioribus, quam etiam successive ordinatis, vocanturq communiter Gratialistæ, sive Symbolistæ, ideo

quod de proprio

quod de proprio pro mensa communi expendant. Rector Magnificus Universitatis, semel quolibet Anno solet deputare Visitatores Sacrae Theologiae vel Juris Doctores, ut de diligentiis Studentium inquirant, scripta eorum revideant, eosdemque super profectu examinent, et si quis dictorum Contubernalium de aliquo notabili delicto personali ad Judicia ejusdem Magnifici Rectoris conventus fuerit, eundem pro qualitate demeriti judicat et punit. Ordinarie vero Senior habet Jurisdictionem in Contubernales, super levioribus, et domesticis inconvenientiis, et negligentiis ipsorum, quos cum opus fuerit, cum assumptis Consiliariis quotannis ex Venerabilibus, sive Generosis Maturioribus et prudentioribus, judicat et coercet, incorrigibiles, Perillustribus Dominis Provisoribus defert, in ordine ad excludendum eosdem ex Contubernio, sive ad privationem Fundationis, si id rationabiles causae exigunt.

20mo

De Libris Contubernii Jurisperitorum.

Bursa haec habuit legatos libros ex speciali Gratia Reverendissimi olim Gasparis Sczepkowski, Canonici Cathedralis Cracoviensis, quorum tamen originale Inventarium non extat, nesciturque quo casu deperditum, supponitur eorundem Librorum fuisse notabilem numerum sed ad praesens paucissimus est, ex his forte rationibus. Imo Quia vivente olim Illustri Rypinski Seniore protunc ex quadam incuria sive casualiter dicti libri igne succensi fuerunt, ut plerique visi sunt semicombusti, et plane ad usum nonserviente. Edo Quia nonulli alumni accommodabunt sibi eosdem libros ad legendum et

eosdem

et eosdem aliquando non restituebant. 3tio Quia per repentina fata, dicti Illustrissimi olim Rypinski facile praesumuntur iidem libri fuisse distracti. Ast tamen Regestrum, qui post mortem ipsius relicti fuerunt, et ad praesens reperiuntur hi.

Imo in Folio.

1mo Thesaurus Polono latinus Graecus Gregorii Cnapii
2do Dictionarium Ambrosii Calepini tom. 2.
3tio Speculum Saxonicum
4to Thesaurus eruditionis Scholasticae.
5to Annalium Poloniae Climacter 2dus.
6to Repertorium Juris Canonici.
7mo Varia Manuscripta.

in 4tó

1mo Adagia Polonia Gregorii Cnapii.
2do Theologia pars 2da Adami Opatovii
3tio Quaestiones super totum Cursum Logicae
4to Manna animae Pauli Segneri
5to Praxis Beneficiorum Petri Rebuffi.
6to Theologia Ecclesiastica Sigismundi Lauxmin.
7mo Bractwo Miłosierdzia.

in 8vo

1mo Epitheta Joannis Ravisii
2do Ludovici Abelli Theologia Medulla.
3tio De causis linguae Latinae Julii Caesaris.
4to Progimnata Aftoni
5to Philosophia humana Hieronymi Dedembergii.
6to Janua Linguarum quatuor.
7mo Distatio pueritis libri duo.

Corpus Juris Canonici integrum in 4to majori debet reperiri inter Dominos Collegas Juridicos forte pro usu commodatum, quod non ita pridem fuerat, et ad proprium ejusdem

ejusdem Contubernii.

Libri pro Regimine ejusdem Contubernii sunt hi.
1mo Liber antiquus Statutorum, Gallico charactere conscriptorum de Anno 1485to. quæ statuta in eodem libro jam recentiori charactere transumpta et exarata sunt. In quo etiam libro continetur Erectio Altaris S. Joannis Ante Portam Latinam in Ecclesia Cathedrali, de quo supra. Item nonulla alia monimenta antiqua in hocce libro descripta leguntur.
2do Liber parvus in 4to in quo continetur Ordinatio Garvarsciana et Fundationes Tyliciana, et Boraskoviana.
3tio Liber viridis in Folio cui Titulus Matricula Alumnorum Contubernii Juridici post conflagrationem ejusdem ex occasione RR. PP. Societatis ad S. Petrum factam Ao 1719no. Die 26. Julii ipso Festo Sæ Annæ comparatus pro ingredientibus singulis Alumnis ad idem Contubernium quorum nomina et cognomina tum admissio ad Fundationes in eodem describuntur sunt etiam aliquæ Inscriptiones authenticæ.

2dmo

De Alumnis ad præsens Contubernium inhabitantibus quorum nomina et cognomina hæc sunt.
Venerabilis Dionisius Długoborski M. o. C. Diœcesis Plocens. Jurisprudentiæ, Dialecticæ, et linguæ Gallicæ auditor alumnus Fundationis Garvarscianæ.
Venerabilis Dominus Thomas Wierzański M. o. C. Diœcesis Camenecens. Jurisprudentiæ auditor, et linguæ Gallicæ alumnus Fundationis Tylicianæ.
Venerabilis Dominus Brawdic Domiechowski A.A. L.P. et Philosophiæ Baccalaureus Secundæ Laureæ Candidatus Jurisprudentiæ auditor.
Illustris Admu Rndus Dominus Antonius Gałęski Ecclesiæ Collegiatæ Velunens. canonicus actu Presbyter Jurisprudentiæ auditor.

Excellens M. Antonius Przybyszewicz in Academia Vilnens. Philosophiæ Magister Ritus Græci Diœcesis Vilnens. Jurisprudentiæ Auditor.
Nobilis D. Joannes Stukusinski M. O. C. Jurisprudent. Audit.
Nobilis D. Andreas Rzepowski ex Archi Diœcesis Gnesnensi Jurispr. Audit. Alum. Fund. Garvar.
Generosus D. Theodorus Dudnicki ex Palatinatu Crac. Rhetor Jurisprudentiæ Audit. Alum. Fund. Garvar.
Generosus D. Simon Szygielski ex Palat. Calisiens. Jurisprudentiæ Auditor. Alum. Fund. Garvar.
Generosus D. Ignatius Waligurski ex Palat. Crac. Rhetoricæ et Jurisprudentiæ Auditor. Alum. Fund. Garvar.
Generosus D. Demetrius Wygrowski ex Palat. Crac. Grammat.
Generosus D. Franciscus Waligurski ex Palat. Crac. Grammat.
Generosus D. Aegidius Orzechowski ex Palat. Plocens. Dialect. et Jurisprudentiæ Auditor Alum. Fund. Garvar.
Generosus D. Joannes Wrotkowski ex Palat. Sandomiriens. Jurisprudentiæ Auditor
Generosus D. Josephus Zawilichowski Rhetor et Jurisprudentiæ Auditor.
G. G. D. D. Thomas et Ludovicus Ulicki Fratres Germani ex Palat. Crac. Poëta et Gram.
G. D. Laurentius Zalewski ex Palat. Masoviæ Gram.
G. D. Ludovicus Pawłowski ex Palat. Crac. Gramm.
G. D. Thomas Zieleniewicz Rhetor et Jurispr. Auditor
G. D. Josephus Stryjnski ex Palat. Crac. Gramm.
G. D. Joannes Cantius Warczynski ex Palat. Crac. Gram.
G. D. Sebastianus Godecki ex Palat. Sandomiriens. Dialect. et Jurisprudentiæ Auditor.
G. D. Stanislaus Żarycki ex Palat. Crac. Rhetoricæ et Jurispr. Auditor Alum. Fund. Garvar.
G. D. Nicolaus Mrozowicz ex Palat. Sandomiriens. Dialect. et Jurispr. Auditor.
Hi omnes sunt sub regimine Illris Clarmi et Admodum Rndi M. Joannis

M. Joannis Cantii Toryani Ut. Juris Professoris Collegiatarum Tarnovien. et OO. SS. Gal. Canonici, uti praesentanei Senioris, qui pro lectionibus quas tradit, pro salario annuo simul et pro victu totius anni computatis computandis, tam ex Fundatione Garvarsciana quam Tyliciana et Boristoviana tantummodo recipit in summa florem. 387. et gr. 2. sol. 2.

22do

De Reparatione supellectili et Famulis Contubernii ejusdem.

Anno Domini 1480. Fundator Bursae Juristarum Reverendissimus olim Joannes Dlugosz, videns, quod pro reparatione ejusdem Bursae quam a fundamentis exaedificavit, nullam aliam dotem relinqueret, et provideret pro conservatione sartorum tectorum ejusdem, fecit ordinationem hujusmodi — quatenus scilicet singuli Ingredientes solverent mediam sexagenam Seniori Domus, cujus medietas converteretur in missas Defunctorum, pro anima ejusdem Dlugossii et Parentum ejus, altera autem medietas pro restauratione Domus, ubi major necessitas exigeret. Haec sexagena successu temporis reducta fuit, eundes Statuta Contubernii relata ad aureos hungaricales duos, qui cederent in consolationem Seniori ut pote ad hoc officium non sufficienter proviso, et quod hujusmodi duo aurei ex Introitalibus provenientes, neq. ad absolvenda Missarum sacrificia, neq. ad faciendam aliquam reparationem sufficere videantur, quod quidem concernens in vim Introitalium hucusq. aliquando Senior percipit, aliquando per medium, aliquando ob respectum recommen

dationis

recommendationis, et Servitutem ingredientis ex inte-
gro condonare solet. Ut tamen piissimus Fundator
suo non destitueretur suffragio disposuit Universi-
tas quatenus omnium Contuberniorum et Scholarum
studiosi, una cum Dominis Senioribus conveniant
pro mandatis Quartualibus, in quibus pro Fundato-
ribus et Benefactoribus Anniversaria celebrantur
et orationes instituuntur, quod moris est, et perpe-
tua consvetudinis, quia pro Diebus Anniversariis per
pulsum Campanarum sicut in aliis Contuberniis,
ita et in Bursa Juristarum pulsatur, ut omnes et
singuli, tam publicarum, quam privatarum lectio-
num alumni oraturi pro suis Fundatoribus et Bene-
factoribus inexcusabiliter condescendant, quae obli-
gatio innovata est, per Convocationem Universita-
tis in Anno 1757mo. die 26. Februarii: quae obligatio
extenditur non modo ad participantes ex Fundationi-
bus, sed etiam Gratialistas, ex vi mansionum, quas
inhabitant a Fundatoribus aedificatarum.

Cum vero successu temporis Contubernium Jurisperito-
rum ex assensu Universitatis, cessit pro Alumnis Garvasci-
anis 30. Brastovianis 6. Tylicianis 4. ita ut Dlugos-
siani admodum pauci, et tuntadat in defectu Garvar-
scianorum sive alterius Fundationis, tanquam Gratiali-
stae inhabitent Reverendissimum Capitulum Cathedra-
le Cracoviense sicut ab initio Garvarscianae Fundatio-
nis eandem Bursam Juristarum reparavit, ita huc usque
reparare solet, ex proventibus Fundacionalibus, ita ut ob
desideratam hujusmodi reparationem, aliquando claude-
retur alumnatus Garvarscianus, prout factum esse
docent Acta Capitularia Aº 1655to 1702. 1720. post
conflagrationem supra memoratam. Ubi etiam anno-
tatur quod Canalis Contubernii reparatus fuerit
sumptibus Fundationis Anno 1657mo. Nostra eti-
am memoria

etiam memoria idem Contubernium reparari mandavit Reverendissimum Capitulum anno 1738vo. et 1739no. praecipue tamen Anno 1755to. et 1756to. quibus annis collapsa Residentia versus Collegium RR. PP. Societatis IESu ad S. Petrum, ex integro reparatae sunt, sed iterum desertata ob rationem ademptis Luminis ob murum nimis eminentem et elevatum per eosdem RR. PP. Societatis IESU cum summo praejudicio, aedificatum, quod quidem Contubernium, quia et ad praesens notabili reparatione, et reformatione indiget, rev oculis subjecta est.

Annotare licet, quod libri Contubernii ejusdem Jurispositorum inscriptum legitur ibi = Ad perpetuam rei memoriam, annotatur singularis felicitas, et honor Contubernii istius, habitus ob praesentiam Celsissimi Principis, Illustrissimi Excellentissimi et Reverendissimi Domini Andreae Załuski, Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiae, equitis Aquilae Albae Universitatis Cracoviensis Cancellarii, ob favendissimas gratias saeculis memorandi. Qui Anno 1749no die 10 mensis Aprilis, in Contubernio hoc, primo Residentiam senioris tandem singulas habitationes Studiosorum pro tunc manentium gratiose visitavit, vidensq ruinas ejusdem praecipue à parte posteriori, concursurum se Protectione sua, ad reparandum eas, appromisit, et eo fine formare Plantam aedificiorum in praedictis ruinarum loci Architecto suo demandavit, cum aestimatione dicens, Contubernium hoc mereri conservationem sui, ex quo digni prodeunt Viri.

Supellex praecipua est, quo ad vasa culinaria tam aenea, quam Testacea, quae providetur ex proventu Bonorum Fundationis Garvarsciana, sicuti et ligna, tam pro Foco communi, quam ad fornacem ipsius duntaxat senioris. sed quia et ligna his temporibus, nimis carò emuntur saepi arctatur fundatio in coemendis illis, ita ut non sufficiant, tam ad parandum prandium, quam ad caenam et

ad calorem

ad calorem pro Seniore. Celarium unicum est proservandis üsdem ligois, sed et illud ruinosum, Culina de muro antiquissima, sed multum incommoda. Secreta loca ob impeditum effluxum per vicinos R.R. P.P. fere abjectissima aeremq inficientia cum summo incommodo sanitatis habitantium alumnorum.

Capella Domi istius omnis antiqua est, et minus oportuna, quæ potius converti deberet, pro Residentia Senioris, qui strictissimam mansionem habet. Devotiones enim Convocationes actus Disputationum commode absolvere solent, alumni in Stuba communi, quæ de Aº ut supra 1756to honeste ædificata est, in qua etiam prandia et cænæ apponi solent.

Famuli sive Servitores communes Contubernii sunt, Tercianus et Coctrix. Primus Clausuræ Domus invigilat, et ejus mundiciem curat, et Coctricem circa parandas portiones adjuvat, Coctrix vero in foro, quæ desiderantur, omnia parato peculio emit, uterq tam Tercianus quam Coctrix a dispositione Senioris dependent. Sed uterq præsentibus temporibus, difficulter haberi possunt, cum pro quartuali nonnisi per florenos 5. percipiunt, et pro victu hebdomadali tantum per grossos 40. Unde tam pro augendo Salario, quam pro augenda sustentatione victus, urgenter instant, quod ipsis promittitur, et faciendum venit, alias famulitium hoc haberi non poterit.

Desideria vel ex suprascriptis facile colligi possunt, vel iterum distinctim exhiberi poterunt.